

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica

Schurzfleisch, Konrad Samuel

Berolini, 1599 [i.e. 1699]

LXXVII. De Actionib. Turcarum

urn:nbn:de:bsz:31-102564

arentur Principes et Principatus. Nullum humani sanguinis pretium, nullus favor esset. Hic probem, quae differuit Royus, in hoc argumento exercitissimus scriptor.

(kk) *Respublica Regia.* Hinc Regium Ius, locum inter Reges, Regumque Oratores debere sibi contendit. Regna redigit in suam potestatem. A Regnis Diademata habet. Ex his Cyprus, Creta, Dalmatia. Illa amissa: illius caput proxime ademptum. Hanc etiamnum possidet. Vid. Co. Alfons. Lofebius Italus in Comp. Hist. della Repubblica Venetia, e suoi stati.

(ll) Nondum coivie vulnus, quod ex Candiae deditioe accepit Christianus orbis. Propugnaculum quanto antebac impendio defensum, tanta iactura nunc amissum. Fati haec imi fuit. Gessit bellum suo sumptu. Terra legiones, mari classes opposuit. Nil demum omisit, quo et repelli hostis, et servari castrum posset. Sed melior destinatio, quam successus: maior etiam aliquando animus, quam vires. Interim incendi furor hostis, et per clades gressari ad clades. Nullum furoris remedium, nullus cladum finis, nisi cederet Resp. Cedere ergo visum. Cedendo consulere rebus, quaedam amittere, quaedam retinere, revera vincere. Nempe hoc mirabile vincendi arcanum est.

§. XXII. Qui mari vehuntur, opem sperant a portu. Voti compotes, aram ponunt Neptuno. Ego DEO ponam Reique Publicae VENETORVM.

§. XXIII. Destinavi aram. Habe arae exemplum, habe pietatis, Respublicae Serenissima. Imperium, Imperii Libertas, Libertatis Gloria Tuae argumenta Gentis, Exhibuisti Dominam Europae, Imperatricem Orbi. Serva Decus. Serva decoris Faam. Res praeteritas aestima, futuras pondera, praesentes exequere. Gerant bella, qui velint. Tu exspecta. Repellere, satis ad laudem. Amorem Gallo, Honorem Hispano, Reverentiam Caesari proba. Aucta satis Respublica est. Defende auctam. Sic securitatem conciliabis Tibi, Prudentiam repraesentabis Tuis, Tuere Imperium. Tucri gloriosum, Affectare, quae non capias, intutum. Acquiesce patris. Mitte aliena. Non ausim hortari ego. Hortabitur Cameracense Foedus. Elige Duces, qui velint, quod debent, qui possint, quod velint. Instrue Praefectos Annonae, ut vigilent mature, ut consulant recte, ut dispensent liberaliter. Arcere avaritiam, obstaré avaris, imponere negotiis probos, tuae honos Civitatis. Nobilibus mansuetudinem erga Cives, amorem erga Senatores, fidem erga Rempublicam, constantiam domi, patientiam foris persuade. His rebus fiet, ut in id usque fastigium pervenias, quod decet prudentiae et aeternitatis sedem. Haec mea vota sunt. Ex votis de animo cognosce. Animi religionem intelligis. Hanc tradere Tibi, hanc tradere Posteris iuvat.

LXXVII. DE ACTIONIB. TURCARVM.

Nnn nnn 2

Impe-

Imperium Turcarum herile, si formam, haereditarium, si succedendi ius, Osmanicum, si sanguinem aestimaveris. Nationem a Tartaris, Originem a Regibus, potentiam ab armis arcesso.

§. II. Patientes huius Imperii Barbari, Asiatici, multi ex Europaeis. Ea parte pares, quod ut illi natura, ita hi sive calamitate, seu vitio et assuetudine in servitutem proni evaserint.

§. III. Osmanidas idem erga suos amor, idem erga Christianos odium copulat devincitque. Hinc ut crescendi illis, ita decrescendi aliis suppeditata occasio est. Notandi hic veniunt Johannes Imperator Constantinopolitanus, Johannes Cantacuzenus, Georgius Despota, alii.

§. IV. Vastus iste et plurima per Africam, Asiam et Europam regna complexus dominatus iam dudum sua laborasset mole, nisi potentiam miles, militem disciplina, disciplinam praesentissimus poenae metus firmasset. His ad ulta in Turcarum animis superstitio, eandem paene vim ipsis, quam oleum igni dedit.

§. V. Non vacat eruere, quas dominandi artes Sultanus habeat domi. Sufficiat ostendisse, quibus dominationis instrumentis utatur foris. Summatim dicam, quod sentio. Ius in iniusto bello est. Dulce illi, laedere: laesus ipse nescius est placandi. Nec modo non vult placari, sed ne audire quidem de honesta satistatione. Indignum vero homine, indignum insuper hominum iure, indignum denique Sultano est, nolle reconciliari iis, qui refarcire damnum, restituere erepta, omnidemum satisfacere modo poscenti satisfactionem volunt. Hanc vero tanto admittit aequius est, quanto malitiosior interpretatio poscentis. Quanto contra iustus postulatum satisfacere volentis. Et peccatum tamen in eo genere nuper est. Appello Amurathem IV. Ibrahimum II. Quid mirum? Voluptas barbaris est, peccare. Modo utiliter sibi, perniciosè aliis peccent. Atqui vero id argumento est, natione magis, quam ratione barbaros esse. Si tamen id purgare barbariem potest, dolos reperite adversos iuri, adversos honestati. Documenta tanti nefas ut alii, ita Veneti potissimum loquuntur.

§. VI. Sed quia ius non suppetit, iuri titulos praefert. Speciosos magis, quam ex solido. Ait sibi deberi regna, regiones, insulas, imperio aliorum obnoxias. Ait suam esse Coreyam. Ait suam esse Candiam. Vtramque Venetae ditionis Insulam. Alteram invasit nuper. Huius caput proxime in suam redegit potestatem. Omnia eo spectant, ut imperium obtineat maris, ut vexet republ. magis, ut imminet fortius ex propinquo. Etiamnum Suda, invictus Cretae portus stomachum illi mover. Effusa in illum vis plus una vice. Furor magis, quam obsidio erat. Repressit tamen Veneta virtus furorem. Vindicavit portum, fremente Barbaro, fremente barbarorum globo. Haec fortuna praefecto militiae capite stetit.

§. VII. Detestor vero, detestantur mecum omnes Christiani hanc Turcae dominationem. Qui quicquid ex destructo Graecorum Imperio superest, arrogat sibi,

sibi, invidet aliis. Supremum maris mediterranei Dominium iam affectat solus. Per Corcyram, si liceat, aliquando in Adriaticum quoque grassaturus. Haec illa, si ita fas loqui, clavis. Haec ocludit Adriam et recludit. Haec Imperii Adriatici robur atque firmamentum audit; est profecto. Id Tibi, Venete Ocelle lumen Urbium, Princeps Rerumpublicarum, dico, si cuiquam, tibi certe fortibus Provinciarum rectoribus, circumspicis Militiae Curatoribus opus est. Hostis ad littora est. Haec muni. Stabis, si munivisti. Praesentia retinere. gloriosum, amissorum sufficit meminisse.

§. IX. Sed neque Sicilia, nec Melite expers periculi est. Sunt certe, qui credant, eo cunctis viribus nisurum Turcam, ut primo Melita: inde Sicilia, tum Sardinia, mox finitimae ditiones subigantur. Avertat Deus omen, subvertat Dominationem. Si in tale eruptura nefas est. Provideas tempestatem, Melita. Elusisti Draguthi, infestissimi Piratae impetum. Eludes quoque hodierni Achmetis, et omnium successorum, si Iohannis Valettae decus verbis colas, factis imiteris: imo imiteris, Idem Hispaniae interest. Quin omnium Italiae Principum. Pontificis ipsiusmet. Siciliae alterum Garsiam precor Vindicem. Huic Mustaphas ludus, Solymanus umbra fuit, Saltem hic Veterae prudentiae exemplum addo. Haec pacem hostis, inducias interpretatur. Adeo alte eius animo conditam novit cupidinem dominandi.

§. IX. Iam sicut Turca ad invadendum, ita Christiani ad depellendum vires, consilia, opes conferant. Agitur Dei causa, agitur Christianorum salus. Sed iustitiae quoque in eo dignitas versatur. Bellum non denunciare, iniqum. Legatos (a) violare, impium. Frangere foedus, pervertere pactorum rationes, plane nefas. Nolle placari, non humani, sed bruti affectus est. Atqui nil horum Turcae illibatum, nil inviolatum fuit. Mensuram, si quisquam ex proximis, implevit Ibraimus, animo ferox, moribus efferatus, dominatione intolerandus, tali demum exitu dignus, qualis vita fuit. Struxit Ibraimo Nemesis laqueum. (b) Quid si Achmeti globum rebellem? Aut enim fortasse Vezirius pravum denunciabit omen, aut huic multorum parentandum sanguine erit. Scilicet aluit Sultanus in sinu angvem. Sed ut iniqum Vezirii facinus, ita iusta Sultani ultio apparet, si apparet tamen. Surrexit Imperium Turcicum in Osmanno, crevit in Amurathe I. Adolevit magis in Baiazetho. Floruit in Mahometo II. Stetit in Solymanno. Utinam tandem diuturnae felicitati modum, magnitudini finem ponat fortuna. Dignum hoc Domino fatum, dignus dominatione eventus foret.

(a) In his numero Sonanzum et Gmllium, quorum ille indigne habitus, hic strangulatus est.

(b) Id quod liquet ex actis publicis.

§. X. Multa paucis exposui. Plura restant. Persequar eadem, qua coepi, brevitate. Auspicabor a bellis. Inter bella feligam Cretense. Hoc Amurathes IV. Venetis destinavit. Ibraimus II. intulit. Achmed II. finivit. Vetus id Turcae consilium.

Nnn nnn 3


Victa

Victa Rhodus, subacta olim Cyprus erat, iam Candia iudes in oculis. Sive quod op-
 portuna adipiscendo imperio maris, sive quod commoda situ esset. Magnam belli
 conflat molem. Parum metuunt Veneti, Sultano, ut fallere solebat, amicitiam
 praefato. Sed latere non potest dolus. Erumpit tandem magno Venetorum malo.
 Petit Cretam primo. Tum occupat Canenam operibus validam. Inde ad Civitatem
 Retimo proficiscitur. Hac deditioe accepta, vim omnem in Candiam, primariam
 Insulae Urbem, convertit. Diuturna huius obsidio magno Turcis et Venetis impen-
 dio stetit. Haec multos Turcae impetus elusit. Haec multos barbarorum consumpsit.
 Donec magna grandium tormentorumque vi quassata, malum defendentibus o-
 men, peiorem ominis redderet fidem. Hinc data prudentibus differendi occasio est.
 Aliis mirantibus, cur Turca bellum continuaverit praeter morem. Alii quaerenti-
 bus, quae causa fuerit continuandi. Scilicet viderat, salva Candia, minus tuta fore,
 quae occupasset. Tum mittenda ex longinquo Venetiis auxilia, quanto sumtuosio-
 ra ipsis, tanto magis in rem futura. Praeterea illa ab exteris saepe sollicitari magis,
 quam obtineri. His vero rebus exhausti Reip. aerarium, incidi nervum belli. Ale-
 bat audaciam, augebat moram minor a Germano milite metus. Hic eo promptior
 ad iuvandum, quo propius periculum abest. Remotiora tangunt parum, movent
 minus. Taceo alia non minoris momenti. Verum enim vero satis se prodidit domi-
 niatio Sultani, Succedent huic alia quaedam dominatus instrumenta, artes, instituta.
 Literas meliores odit, ne effoeminetur, iam ante has effoeminatissimus ipse, aut
 certe barbarus. Eo veteres Gothones, et, ut aevum erat, nondum excultos perpe-
 ram imitatus. Latet vero hic avaritia, latet in super superstitio. Superstitione novum
 tegitur malum. Monumenta Arabum a Magno duce Tolcano, missa repudiasse ac-
 cepimus. Quippe pecunias malebat, quam veteres Schedas. Sed et metuit ex literis
 dissidia, dissidiis auctoritatem sui Mahomedis perverti posse providet. Et nuper ipse
 luculenta accipere praemia. Nil reddere praeter antiquam bibliothecam. Hoc ava-
 ritiae, non laudis argumentum fuit. Tum non sinit, ut qui praelo operantur, Ora-
 cula Mahomedica exprimant. Non quia oderit officinas, ut interpretantur vulgo.
 Tolerat quippe varias officinas. Sed quod illud tenuis rei, et instrumentum compe-
 scendis privatorum querelis, motibus certe idoneum, interpretetur. Accipe Osma-
 nidas ab uno ingenio omnes. Religionem ex utilitate delegerunt sibi. Alia AEgy-
 ptusque id probant satis. In qua parte iterum antiquos reddunt Gothos. Novum
 recitabo exemplum. Cum nuper Sultanus foederis rumpendi quaereret causas. Au-
 thori vasa prudentiae Ceremoniarum Antistes Santis, vulgo Musii, erat. Non te-
 neri foedere, ait, teneri lege ultionis, Nimirum honor Sacerdoti, quod ille ait, fir-
 mamentum potentiae, titulus destinatis sumebatur. Sed non sola religio illi ludus.
 Literas, leges ridet, aspernatur. Ego paulo inflexa Alphonfi Regis sententia, di-
 cam, non hominis, sed bruti, sed barbari illam sententiam esse. Non reprehende-
 rim, quod arma tractet, Modo tractet iuste, nec abutatur ad nefas, Quin sequendi
 pro-

proditum putaverim exemplum, quod militem non facile eligat, nisi veteranum, ca-
sibus exercitum et praeliis insuper duratum. Quamquam nec velim celare, faecem
saepe Asiae, colluviem gentium, impedimenta plurima, explere militiam magis,
quam firmare. Robur alioquin Praetoriani, et Cataphracti milites audiunt. Sed de
militia Turcica alias tempus erit, ut plenius agam. Hic desinam in pietate, optasse
contentus, ut, quicquid infortunii haecenus sensit Christianus orbis, in exitium
Turcae vertatur; quin tandem antiquum Augusto nostro ab Oriente redeat decus,
amissa Venetis restituantur.

LXXIIX. CHARACT. EVENTOR.

VTILIVM.

 Mnum rerum modus est, et nimia moles seipsam non capit, va-
stumque imperium saepe fluctuat, ac difficulter etiam continetur.
*Apud Thucydidem hist. lib. VI. ubi Nicias iuravit Atheniensibus, pri-
us potiusque de firmando, quam de augendo Imperio cogitandum
esse: Tacitus Annal. I. 11. 8. Curtius IV. 11. 8.*

§. II. Igitur maxime securitatis interest, ut maior sit cura
defensionis, quam potentiae acquirendae, cum hanc plerumque maiora pericula se-
quuntur: quam Periculis sententiam adducit belli *Peloponnesiaci scriptor lib. I.*

§. III. Nec vero committendum est, ut finitimorum iniuriae negligantur:
quo argumento utuntur *Coreyraei*, causamque defensionis suae commendant, et
confidenter affirmant, *iniustum esse, homines periclitantes, et non inimicos repelli,*
in primis vicinos, et foedus atque auxilium ex gravi et necessaria causa petentes, a-
pu'd eundem d. lib.

§. IV. Quod apud Romanos inter regnandi artes fuit, magnamque iis po-
tentiae accessionem attulit, cum foedera pangerent, ut amicorum sociorumque res
arbitrio suo moderarentur, coloniasque ducerent, ut provincias nuper acquisitas
firmarent, et mobilem otiosamque urbis faecem exhaustirent. Id ratione prudenti-
ae metitur *Hermocrates*, et licere existimat, si dominari cupientibus vicini ultro
cedant, neque obnitantur, *apud eundem lib. III.* Cumque Romani nulla iuris specie
foedera nova pacisci possent, et vel humanitatis causa missuros se reciperent, qui a
lieno nomine vetustiores socios rogarent, populi spe frustrati interdum se dedide-
runt, ut *Campani apud Livium VII. 31.* Quibus rebus evenit, ut annitentibus *Cam-*
panis, fines proferrent, et Samnio potirentur, Nic. Machiavellus de Republ. lib. III.
cap. 1.

§. V. Ceterum in coloniis animus auspiciisque mittentis inspicienda
sunt, ut constet, quo iure, et in quas regiones coloniae mittantur, atque his indici-
is intelligatur conditio et status, quod nimis laxè decidit *Hugo Grotius*, et missum
in